

99 kt

M-s. 204

327.



Der Inhalt umfasst folgenden Himmels- und Aufgipfelfon-  
sammlung.

II b (Himmels-Programme) 494. 489. 504. 499. 498.

II c (Felsen-Programme) 643. 644.

II b 493. 500. 497. 502. 504.

II c 642

II b 498

II c 669

II b 504. 501. 505. 444. 501. 484.

II c 645. 662.

↓  
Himmels-Programme  
vom Jahre 1730.

F. A. L. M. 1833





DE Aug I 6 494  
DISCIPLINAE TRIPLICIS  
DOMESTICAE SCHOLASTICAE  
ET ECCLESIASTICAE  
NEXV ATQVE VSV  
COMMENTATIO

---


QVA  
AD EXERCITATIONEM  
ORATORIAM  
A. D. X. NOVEMB. HOR. IX. ANTEMERID. CIOIO CCXXXXVII.  
IN MARTINEO HALBERSTADIENSI  
DEO IVVANTE FVTVRAM

LITTERARVM PATRONOS  
ET CVLTORES

OBSERVANTISSIME ET HVMANISSIME  
INVITAT  
M. CHRISTIANVS FRIDERICVS HERTEL  
PAST. ADAED. SPIR. S. ET MARTIN. RECT.

---

HALBERSTADII LITTERIS LANGIANIS





## SYNOPSIS.

**O**rdinem deus in omnibus seruat; hinc et ab hominibus uult seruari, §. I. In rebus domesticis, scholasticis et ecclesiasticis omnia fiant secundum ordinem ac decēter, §. II. Ad hunc finem adsequendum triplici opus est disciplina, §. III. Vbi nihil efficitur disciplina, membra societati cuidam noxia tandem sunt auellenda, §. IIII. Disciplina ecclesiastica, atque sic dicta excommunicatio comprobari potest ex sacris litteris, §. V. Refelluntur non nulli ex iureconsultis recentioribus, qui de disciplina ecclesiastica finistre sentiunt, §. VI. Neglectum disciplinae triplicis plurima parere mala, probamus, §. VII. Quo modo triplicis disciplinae opus bene et ex uoto succedat, §. VIII. Quatenus in disciplina exercenda ecclesiastica apostolos non, et quatenus omnino imitari possimus, §. VIII. Excerpta quaedam maxime memorabilium ex Sarcerii et Euenii operibus disciplinam hanc nostram triplicem respicientibus, §. X. et XI. Conclusio familiarum patribus, praeceptoribus in scholis, ac diuini uerbi ministris serium inculcat studium in suis disciplina quadam emendandis, §. XII. Adiciuntur tandem orationum themata, et declamantium nomina, §. XIII.

L571





§. I.



SUMME mirabilem et ad certos usus finesque accommodatum ordinem in hoc toto animaduertimus uniuerso. Rerum haec coagmentatio omnium quum ad nos spectat scientia perfectionum diuinarum instruendos; tum etiam hoc nos conducet, quidquid cogitemus, uelimus, loquamur, et agamus, ordine debere fieri, et secundum certas leges ipsa natura cognoscendas. Nulla respublica salua esset, recteque se haberet, nisi ciuium uita moresque ad quasdam regulas, tamquam ad amussim, dirigerentur; neque aliquid ualeret in re militari belli dux, alioquin fortissimus, nisi ordo, lex et disciplina suos coerceret, inque officio contineret.

§. II.

EXTRA omnem dubitationis aleam positum est, in statu domestico, atque in rebus ad scholam et ecclesiam pertinentibus, omnia, ex monito apo-



apostoli, decenter fieri debere, et secundum ordinem. Quod ad statum oeconomicum attinet, non liberi solum, serui ancillaeque; sed patres etiam matresque familiarum certam quamdam uiuendi teneant normam, si, ut omnia ad finem praefixum consequendum peragantur, exoptant. Hinc talis constituatur ordo, necesse est, ut liberi atque famulantes debitum praestent obsequium iis, in quorum potestate habentur. Hi uero, qui domibus praesunt, fidei suae a Deo traditos curae sibi habeant, conseruent, alant, atque protegant. Rem scholasticam quod attingit atque ecclesiasticam, ex natura atque indole utriusque illius apparet, in eadem conseruanda ordinem esse tenendum, et ex certo quodam praescripto agendum. Et enim si scholae sunt societates, quas docentes atque discenses constituunt, ut postremo loco dicti ad uaria necessaria et utilia negocia, quae gloriam Dei hominumque respiciunt felicitatem, fiant idonei; si porro ecclesia externa societas est certorum quorundam hominum, qui semet mutuo obstrinxerunt, secundum constitutiones certas, coniunctim ad cultum aliquem summo numini praestandum; quomodo facta sint haec collegia atque tecta, si quibus iisdem adscriptus, sibi, quidquid libet, etiam licere, uelit opinari.

### §. III.

PROINDE qui ea, quae lex et ordo praecipunt, adspernantur, disciplina quadam, ut ad frugem rede-



redeant, sunt excitandi. Intelligimus uero per disciplinam, siue sit domestica, siue scholastica, siue ecclesiastica, certam rationem emendandi illos, qui uitae morumque prauitate, se uera et genuina societatis huius triplicis membra non esse, demonstrant. Distinguendam uero probe esse a poena proprie sic dicta, eaque ciuili, disciplinam hanc nostram, ex natura et indole harum societatum factis patet. Etenim tribus hisce qui societatibus praesunt regendis, dulcissimo patrum titulo, non uero summorum imperantium et magistratuum, ius uitae ac necis habentium, ornantur. Hinc admonitionibus, atque quibusdam etiam non nunquam castigationibus, non iudici crimina in rempublicam commissa uindicanti, usitatis, sed uere paternis, de emendanda suorum uita sint solliciti. Quo plures inueniuntur occasiones, quibus hominum animi possunt deprauari, et a pietate deduci: eo frequentiores sint cohortationes, quibus ad officii rationes obseruandas incitentur. Atque si sapienter egisse uolumus uideri, a minoribus admonitionum gradibus procedimus ad maiores. Omnia uero tendant ad supremi numinis gloriam amplificandam, et ad harum societatum membrorum singulorum salutem augendam.

§. IIII.

EIUSMODI disciplina in conseruandis tribus societatibus commemoratis maxime opus esse, nemo, qui finem earum recte pensitat, diffitebitur. Quod



Quod si frequentissime moniti atque castigati operam sibi praepositorum eludunt, et neutiquam fiunt meliores: in tribus hisce societatibus id faciamus, quod in alia quacumque hominum consociatione necessitas ipsa suadet. Inutile et collegio suo noxium membrum abscinditur, et a societate tandem excluditur. Segregandi etiam sunt, qui scopo societatum saepius dictarum non uiuunt conuenienter. Vt igitur malos seruos atque ancillas a reliquis domesticis diuellamus; ut immorigerum discipulum, cuius nemo potest infringere improbitatem, a reliquorum consortio distrahamus, id omnino lex diuina et prudentiae praecipiant regulae. Quod uero ad natos parentum attinet, summam in iis a domo paterna remouendis adhibendam esse cautionem, res ipsa loquitur.

§. V.

HOMINES etiam, qui sacra christianorum ore quidem profitentur, uita uero et facto iisdem aduersantur, atque emendari se plane non patiuntur, dimouendos esse a reliquis ad finem obtinendum coniunctis, docet uetus disciplina ecclesiastica, secundum quam christianorum consuetudine interdicti, sacrorumque usu prohibiti, appellabantur excommunicati. Quum enim ecclesia externa habeat societatis, siue collegii, naturam, quilibet facile perspicit, membra, quae sanari nolunt, esse a corpore auellenda. At quum non nulli, quorum deinceps mentionem iniiciemus, excommunicatio-

nem



nem omnem, et maiorem et minorem, reiecerunt: confugiendum est omnino ad historiam trium priorum post Christum natum saeculorum ecclesiasticam, atque ex ea sententia nostra stabilienda. Methodum apostoli hanc seruabant. Principio amoris et patientiae adfectu male moratos ad uerae uirtutis studium exhortabantur, 1 Thefl. V. 14. Comitatem uero non fuisse sine seueritate, animaduerti discique potest ex utraque Paulli ad Corinthios conscripta epistola. Alios miserabantur, alios religiose seruabant, ex igne rapientes, Iud. 22. 23. Pietatis simulatores grauitur obiurgabantur, ut ab ista sua desisterent prauitate, deum comprecari iussi, ut ista mala mens sibi ignosceretur, Aët. VIII. 22. Vitabant omnem fratrem intemperanter se, non ex institutione, quam ab apostolis acceperat, gerentem, 2 Thefl. III. 6. Si quis, qui frater nominabatur, impudicus erat, aut avarus, aut deastricticola, aut conuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi homine ne quidem cibum capiebant primi christiani, 1 Corinth. V. 11. Mali uero, in quibus nulla emendationis spes supererat, e christianorum repellebantur societate, loc. cit. com. 13. Quosdam malos satanae dedebant, ad corporis perniciem, ut animus seruetur ad diem domini Jesu, loc. cit. com. 5. Apostolica haec disciplina tam rigida non numquam fuit, ut peccatores, qui ad frugem nolebant redire, ad apostolorum pedes corruerent exanimis, Aët. V. 5. 10.

Con-



Contra uere resipiscentes solatio reficiebant, et cauebant, ne forte immodico moerore conficerentur, 2 Corinth. II. 7. Seueriorem hanc disciplinam saeculis duobus subsequentibus in lapsos ideo fuisse retentam, ne profanae gentes haberent, quod calumniarentur, historiae ecclesiasticae monumenta quemlibet condocerunt,

§. VI.

NESCIRE igitur mihi uidentur, quid sibi uelint non nulli iureconsultorum recentiorum, quorum agmen uir quondam magnus ducit Christianus Thomasius. In mentem ipsis uenit, satis audacter statuere, disciplinam ecclesiasticam, praesertim rigidiorē, esse rem prorsus inutilem et perniciosam, quae perturbet ac labefactet statum ciuilem, papatuique conueniat et faueat. Excommunicationem illam in primis ad fulciendam auctoritatem suam a sacri ordinis hominibus excogitam fuisse, eamque intolerabilem plane muhamedismo tandem dedisse originem, (\*) nullo argumentorum praesidio munitus, sibi aliisque persuadere conatur Thomasius. At uero quum praestantissima quaeque res abusu est obnoxia: tum etiam, praesertim in papatu, disciplina ecclesiastica peruerse et improbe non numquam usos esse sacri ordinis homines, minime negamus. Sed propter abusum rei cuiusdam, nemo illius tollere potest usum. Prudentiores ex ordine sacro probe intelligunt, disciplinae modo laudatae ne mini-



nimam quidem esse debere poenae ciuilis speciem,  
nisi amittere uelit naturam suam atque indolentem:  
quippe quum ecclesia Christi non habeat gladium,  
nisi uerbi ac spiritus diuini.

(\*) *Vid. Causelae circa praecognita inisprudential ecclesiasticae in usum  
auditorii thomasi, cap. XV. S. IIII. IO. ERNESTVS FLOER-  
KIVS, iur. quondam profess. in acad. ienens. nosterque in  
iure canon. et eccles. ibidem praeceptor pie colendus,  
et hodie ducis Saxonum gothani a consiliis intimis, in ob-  
seruationibus selectis ad Schilteri institutiones iuris canon. pag.  
334. sqq. recenset ea, quae ad historiam litterariam doctri-  
nae de excommunicatione pertinent. Mentionem facit ex-  
cellentissimorum uirorum, Thomasi, Titii, Boehmeri, et  
Pertschii, quibus Floerkius semet adiungit, qui omnes,  
ex sacra scriptura excommunicationem probari posse, ne-  
gant. Adlegat porro Niemeyerum, Fechtium, aliosque,  
qui laudatis sese opponunt iureconsultis. Lis facile com-  
poni posset, si ueram, reiue naturae conuenientem, et  
non tam formidolosam, de excommunicatione nobis for-  
maremus ideam.*

## §. VII.

VINDICATAE huius ab obtrectatoribus disci-  
plinæ ecclesiasticae neglectum multis malis atque  
calamitatibus in uita communi originem dare,  
paucis nobis est monstrandum. Proterui  
peccatores, quibus nulla disciplina, nullae obiur-  
gationes, nulla disiunctio a coetu reliquorum ec-  
cle-

B

cle-



clesiae membrorum est metuenda, in dies fiunt pro-  
 caciores, et ipsorum ferocia euadit tandem effre-  
 nata. Qui ex horum hominum peruersorum nu-  
 mero paullo sagaciores sunt, sibi quidem cauent,  
 ne in manus incidant magistratus politici: sed ta-  
 men plurima mala, quorum ultor nemo esse pot-  
 est, inferunt in societatem humanam. Scintil-  
 lulam boni in aliorum mentibus latitantem ex-  
 stinguunt; nec se felices esse putant, nisi alios ir-  
 retiant, suiue similes efficiant. Comparandi sunt  
 istiusmodi homines cum cancro morbo laboran-  
 tibus, in quibus, quidquid occupatur, plane cor-  
 rumpitur. Sed quum plura adiicere, instituti mei  
 non ferat ratio: ad duas reliquas societates, ea, quae  
 dixi, uelim accommodentur. Quilibet, uel me  
 tacente, satis intelligit, quantas filius perditus, uel  
 seruus nequam, excitent in re familiari turbas, quam  
 sint reliquis domesticis offendiculo, quam impe-  
 dianc illos, qui pietatem deo uolunt tribuere.  
 Exemplo sunt nobis Iosephi patriarchae fratres ger-  
 mani, quorum ille in domo paterna satis expertus  
 est odium, inuidiam et iram; et in quos parentis  
 sui Iacobi disciplina paullo laxior fuisse uidetur,  
 quum illorum improbitas posceret rigidiorē.  
 Quid tandem dicamus de malis discipulis, leges  
 scholasticas flocci pendentibus; qui ipsi metam,  
 quam sibi deberent praefigere, non attingunt; com-  
 militones uero suos, ad illam contendentes, a lau-  
 dabili suo abstrahunt conatu; et tandem, secun-  
 dum



dum illud tritum, morbida facta pecus totum  
haud raro ouile corrumpit.

§. VIII.

EX dictis euidenter apparet, maxime utilem sum-  
meque necessariam esse disciplinam hanc nostram  
triplicem. Sed clamant multi, eandem opus esse  
arduum, graui labore, summisque non numquam  
difficultatibus coniunctum. Quae licet uerissima  
sint, animus tamen, in disciplina hac seruanda, non  
est despondendus. Homini enim omnia curate  
consideranti et circumspicienti, diuinum auxili-  
um imploranti, in dubiis cum prudentioribus de-  
liberanti, sacram scripturam et alios libros bonae  
frugis scopo huic inseruientes perlustranti, labo-  
rem nullum horrenti, opus illud disciplinae lau-  
datae bene et ex uoto succedet. Initium uero hu-  
ius salutaris disciplinae faciant patres familiarum,  
et ratione modo commemorata liberos suos, pi-  
gnora a deo sibi concredita, curent nunc lenius,  
nunc rigidius, prout res postulat, educandos; et  
reliquos domesticos tractent, prout salus ipsorum,  
et rei familiaris scopus, desiderare uidetur. Feli-  
cem institutionem domesticam si subsequitur scho-  
lastica felicior, faciliorem omnino intelligimus  
fore ecclesiasticam. Namque, quemadmodum  
hae societates tres quoddam habent commune uin-  
culum, et quasi cognatione quadam inter se con-  
tinentur: ita etiam triplicis disciplinae nostrae ne-



xus esse debet arctissimus, et harmonia elegantissima. Contra, si patres familiarum soluto et quieto sunt animo, nec multum de disciplina laborant domestica; praeceptoribus uero deinceps inertibus dissoluti discipulorum mores non grauem adferunt sollicitudinem; sollertibus uero ii, qui possunt et debent, nullas ferunt suppetias: tum de disciplina ecclesiastica, immo de tota propemodum religione, actum esse, neminem mirari posse, arbitramur. Iam prolapsa satis est uetus disciplina ecclesiastica, et qua ratione saeculo nostro corrupto sit corrigenda, et melior restauranda, hoc diligentissime perpendendum est prudentissimo cuique.

§. VIII.

NONNE uero, inquires, normam apostoli reliquerunt ac regulam, ad quam instituenda est disciplina ecclesiastica. Sic omnino est, et ipsi eamdem iam supra (§. V.) laudauimus. Sed, si dicendum, quod res est, disciplina illa apostolorum, rigidior praefertim, locum apud nos in omnibus non obtinet. Apostolica enim disciplina apostolicam etiam poscere uidetur ecclesiam, cuius membra sic animata sunt, ut Christus Iesus, Phil. II. com. 5. Iam uero idem seruator carissimus in parabolis de regno dei adhibitis, Matth. XIII. praedixit, ecclesiam, si illius externam respexeris formam, tam aliquando corruptum iri, ut, propter nimiam improborum copiam, apostolica disciplina consuetudinem nancisci



cisci nequeat. *¶* Quamdiu igitur, ex maiore parte, christiani nobis non sunt apostolici, labor, in disciplinam apostolorum ecclesiasticam qui infumitur plane et omnino restituendam, inanis prope modum uidetur atque irritus. At statu rerum mutato, fieri posse, ut adhuc hodie formam christianismi apostolicam habeamus, id non nulli Valdensium coetus, fratresque Bohemi ueteres, suis comprobarunt exemplis. In societatibus etiam christianorum minoribus, fraterna coniunctorum caritate, eandem posse exerceri rectius, quam in coetibus maioribus, dubio caret. Interim, si, propter tempora difficillima, non omnem reuocare possumus ueterum christianorum disciplinam; in multis tamen, quae ad hominum nobis commendatorum uitam salutariter emendandam pertinent, apostolorum exemplar nobis proponere possumus et debemus ad imitandum, (\*)

(\*) Referantur huc, quae ex Origene contra Celsum adlegat in *piis desiderijs*, pag. 87. edit. Francos. an. 1676. *PHIL. IAC. SPENERVS*. Hic beatus theologus addit, se mirari, fieri potuisse, ut eodem tempore, quo magistratus politicus partes nondum amplexus esset christianorum, hi in disciplina exercenda ecclesiastica mouerint lacertos.

### §. X.

DUM in eo eram, ut huic programmati imponerem colophonem, operae pretium duxi, duo

B 3

pro-



proferre libros, materiae, quam tractauimus, consentaneos, nec ubiuis notos, adeoque quodam modo rarioribus adnumerandos. Alterius auctor est magni nominis theologus lutheranus, *ERASMVS SARCERIVS*; alterius uero *SIGISMUNDVS EVENIVS*, uir de re ecclesiastica aequae ac scholastica, etiam halberstadiensi, praeclare meritus. In opere suo (\*) loco primo nominatus fol. IIII. commonstrat, in hominum moribus emendandis, haud quaquam esse desperandum. Post difficultates primas diuina ope superatas, opus illud disciplinae seuerioris melius succedere adfirmat; eademque humani generis saluti maximopere prospici. Fol. VIII. principum recensentur exempla, qui, grauioris disciplinae studiosi, rationem uitae morumque immoderatam in ciuibus non tolerarunt; quibus ea de causa gubernacula deus concesserit maxime fortunata. Laudem deinceps tribuit moribus et institutis ueterum germanorum, quorum disciplinam atque educationem liberorum longissime praeferendam esse, putat, nostro aeuo uiuentium. Post productas rationes, quare summi principes bonae disciplinae in republica debeant esse tenacissimi, multis et grauib. confirmat argumentis, praeter curam, quae quidem praecipua esse debet, internam animi indolem in hominibus per diuinam gratiam salutariter immutandi, morum etiam externorum, ne quem offendant, magno



magno mentis feruore habendam esse rationem. Neque enim quemquam fugere, pergit, quam nobis peruellant aures pontificii, quod, in hominum moribus emolliendis, tam reperiatur socordes. Addit diuino zelo actus Sarcerius noster, eos uerbi diuini ministros, qui clauis ligantis a Christo sibi traditae prorsus obliuiscerentur, ab hominibus suae curae commissis tandem plane contemni, inque dedecus incurrere, quod uitae munerisque sacri omnia diripiat ornamenta. Denique a fol. CXXXVII. usque ad finem uarios disciplinae, in primis ecclesiasticae, edocet modos, uiamque ostendit, qua magistratus politicus, diuinique uerbi ministri, omnium rectissime uoti sui fieri possint compotes. Quae omnia fusius recensere, iam nobis non licet. Hoc uero praetermittere non possumus, bene arbitrari Sarcerium nostrum, ad disciplinam ecclesiasticam plantandam quasi, atque conferuandam, scholas multum facere bene constitutas.

(\*) Plenior illius titulus hic est: Von einer Disciplin, dadurch Sucht, Tugend, und Erbarkeit mögen gepflanzt, und erhalten werden; und den öffentlichen Sünden, Schanden und Lastern ein Abbruch geschehe. Item, was hierbei die weltliche Obrigkeit, Kirchendiener, und Unterthanen zu thun schuldig und pflichtig sind. Desgleichen auch, durch was Mittel und Wege sie anzustellen, und zu erhalten. Davi



Durch Erasmus Sarcerium, Superintendenten der Grafschaft Mansfeld, 1555. in folio. Quae huius operis fata fuerint, et cur diu situ corruptum, squaloreque oblitum iacuerit, docet uberius GOTHOF. ARNOLDI Kirchen- und Reherhistorie, lib. XVI. cap. XII, §. 19.

§. XI.

VENIO nunc ad censorem saeculi sui morum gravissimum, *EVENIVM*, cuius libellus, *Spiegel der Verderbnis*, inscriptus, primum Lunenburgii CIO IO CXXXX ex officina sterniana, deinceps CIO IO CLXXXI sine mentione loci est recus. Cuius pertractatio VI. absoluitur capitibus, quorum primum agit de impia et conscelerata uita hominum in aetate uirili atque senili constitutorum. Cap. II. de praua adolescentum uiuendi ratione. Cap. III. de peruersis iuniorum moribus, qui originem trahunt ex corrupto statu domestico. Cap. IIII. de prima aetate flagitiis uitaeque dedita ex incuria praeceptorum. Cap. V. de pueris atque adolescentibus, ob uerbi diuini ministrorum negligentiam, uitiorum labe infectis. Cap. VI. de hominibus ab ineunte aetate, ex magistratus politici socordia, male ac nefarie uiuentibus. Specimina quaedam perpauca admonitionum piorumque desideriorum in hoc libro contentorum dabimus, ut, quam Euenio nostro uitae morumque emendatio cordi fuerit, intelligamus. Germaniae nostrae miserae admodum atque adflictae si subueniri



niri uelimus, a iuuentute probe instituenda initium fieri debere existimat, pag. edit, poster. 13. Precum ad deum mittendarum, etiam campanarum pulsu bis ac ter quouis die monitos homines, turpiter tamen obliuisci, pag. 31. uehementer dolet. Ministratores atque ancillas non numquam plures quibusdam adesse solere, et magno sumtu nutriri, ad ea paranda, quae ad uitae pertinere uideantur commoditatem, et ad negocia, culinam, cellam, boues atque porcos, respicientia, recte obeunda. Sed ut liberis prudenter instituendis paedagogus e numero probatorum in gymnasio discipulorum, solo uictu praebito, praeficiatur, a se impetrare non posse homines, in suorum detrimentum turpiter auaros, pag. 34. ualde conqueritur. Parentes in praeceptores, quorum disciplina paullo seuerior fuerit, meritis alioquin in rem scholasticam conspicuos, saepius admodum esse ingratos, eosdem ignominia adficeret, atque inimice infectari, experientia edoctus pag. 49. Euenius noster testatur. De disciplina scholastica prolapsa non nisi omnes conqueri; neglectum uero boni ordinis et morum emendationis hominum impietati esse tribuendum, pag. 73. commonstrat. Nimis mature ex scholis in academias sese proripientium adolescentulorum profectus non a professoribus explorari, neque discendi praescribi methodum; adeoque per eiusmodi

C

mi-



misellos candidatos, ex scholis superioribus reduces, patriae rebus minime prospici posse, gemens intelligit, pag. 101. Post uarios sacri ordinis uirorum naeuos, pag. 119. et 120. recensitos, pios tandem feruidosque diuini uerbi cohortatur ministros, uelint de constabilienda bona disciplina consultare; eosque, qui pollent auctoritate a deo concessa, ad quaeuis bonorum morum, ipsiusque genuinae pietatis, impedimenta instigare e medio tollenda.

### §. XII.

HAEC igitur sunt, quae de nexu et usu disciplinae domesticae, scholasticae atque ecclesiasticae cum beneuole lectionis uoluimus communicare. Quo uero est utilior ista disciplina triplex, atque humano generi salubrior: eo etiam magis optamus, uelit optimum numen familiarum stimulare patres, doctoresque ecclesiasticos ac scholasticos, eandem ut sibi habeant longe commendatissimam. Auctoritatem, quam deus illis tribuit, atque dignitatem a magistratu concessam politico, ne sibi ab hominibus male feriatas eripi patiantur. Magna in natos indulgentia parentes ne tandem faciat segnes ad mores prauos corrigendos atque castigandos; neque tam aliena in reliquos domesticos sint uoluntate, ut, horum salutem, aeternam praesertim, ad se nihil pertinere, opinentur. Munia uero sacra, siue in ecclesia, siue in scho-



schola, suis qui sustinent ceruicibus, onus sibi impositum etiam hoc esse credant, ut post praestantissimam legis euangelique doctrinam instillatam, ordinemque salutis commonstratum, sedulo ab iis, quae diuinae refragantur uoluntati, suos dehortentur; neque a bonae disciplinae deterreantur exercitio, quamuis hominum malorum fauoris, aliorumque commodorum, facienda sit iactura. Tunc certe habituram se esse optime disciplinam nostram triplicem, credimus, si ii, qui aliorum uitae moribusque praesunt moderandis, lucis sapientiaeque diuinae facti participes, ad summi numinis iussa diligentissime actiones suas ipsimet curant componendas. Id enim suae fidei commissis ad fugiendam omnem impietatem maximum erit incitamentum.

### §. XIII.

DISSERTATIONI huic iam finitae quum occasionem dederint in disciplinam nostram traditi bene morati musarum cultores, palaestram oratoriam conscensuri: nomina eorum, et orationum themata, et quidem, in gratiam non nullorum auditorum, germanice nobis sunt apponenda.

C 2

1. Eber-



1. Eberhard Johann Thomas Röper, von Halberstadt, redet von der Allmacht und Weisheit Gottes, welche aus dem kleinsten das größte hervorbringt; wovon auch die Werkzeuge, die man zum reden braucht, satzhaften Beweis geben, lateinisch.

2. Christian Christoph Thilo, von Zerstädt in Thüringen, von einem 185jährigen Mann, der 1724. gestorben; und zugleich von der Mäßigkeit, als dem Hauptmittel eines gesunden und langen Lebens, in deutscher Sprache.

3. Johann Gottfried Heinrich Lucanus, aus Magdeburg, von den Fehlern der Maler und Kupferstecher in Abbildung der biblischen Geschichte, französisch.

4. Johann Christoph Lange, aus Halberstadt, von den Ursachen des Kriegs, und dessen betrübten Folgen, in einem deutschen Gedichte.

5. Johann Andreas Wiese, von Halberstadt, von dem 1547. zum Schaden der Protestanten geführten Smaltdischen Kriege, deutsch.

6. Just Christian Tüpke, von Halberstadt, und Johann August Dube, aus Osterwieck, von dem Schaden der Pedanterey, auch des übertriebenen galanten Wesens, in einem lateinischen Gespräche.

7. Johann Heinrich Friedrich Meyer, von Oschersleben, von den Absichten Gottes in Ansehung der Unvollkommenheit aller Dinge, sonderlich der Schwachheit unseres Verstandes, deutsch.

8. Joh.



8. Johann Ludwig Kallenbach, aus Danstedt im halberstädtischen, von dem mit Schrift und Vernunft übereinstimmenden Verhalten eines Menschen, in Ansehung der vergangenen, gegenwärtigen, und zukünftigen Zeit, in lateinischer Sprache.

## Texte zur Musik bey'm Actu.

Zum Anfange | Psalm III. v. 1. 2.

**I**ch danke dem HErrn von ganzem Herzen, im Rath der Frommen, und in der Gemeine. Groß sind die Werke des HErrn; wer ihrer achtet, der hat eitel Lust daran.

Nach der zweyten Rede.

**W**arum stirbt doch so mancher vor der Zeit?  
Des Hoffnung später Jahre blühet,  
Der stürzt in Sarg und Grab, da sichs kein  
Mensch versiehet.

Ach! daß mans sagen muß, es thuts Unmäßigkeit.  
Wie plöglich raubet sie die Kräfte!  
Und wie vergiftet sie die Lebensäfte!

C 3

Sie



Sie läßt die Füße nicht mehr gangbar seyn,  
Auch schrumpfen immer mehr durch sie die Glieder ein.

Wer klüger ist, schonet seines Lebens,  
Verzehrt sein Blut nicht selbst vergebens.  
So lang ein Feuer in ihm glimmt,  
Denkt er ans Ziel, das Gott bestimmt,  
Damit er dieses nicht verrücke;  
Dabey sich aber doch zum sterben schicke.  
So wird die Bitterkeit des Todes nicht geschmeckt,  
Vielmehr durch ihn uns Lust erweckt.

### Nach der dritten Rede.

Weg mit Phantasie und Lügen!  
Ich will mich nicht mehr betriegen.  
Bilder will ich mir von Sachen,  
Nach der Spur  
Der Natur,  
Nicht nach falschem Wahne machen.

### Nach der fünften Rede.

Aus des großmüthigen Churfürsten zu Sachsen,  
Jo:



Johann Friedrichs, Gesänge, welcher in  
dessen Gefangenschaft verfertiget worden, der  
erste und letzte Vers.

Wies Gott gefällt, so gefällt mirs auch, und  
laß mich gar nicht irren; ob mich zu Zeiten heist  
der Rauch, und wenn sich schon verwirren all  
Sachen gar; ich weiß fürwahr, Gott wirds zu-  
legt wohl richten. Wie ers will han, so muß es  
gahn; solls seyn, so seys ohn Dichten.

Wies Gott gefällt, so nehm ichs an, um  
G'dult will ich ihn bitten. Er ist allein, der hel-  
fen kan, und wenn ich schon wär mitten in  
Angst und Noth, lag gar im Tod, kan er mich  
wohl erretten gewaltger Weis. Solls seyn, so  
seys; ich gwinns, wer nur will wetten.

### Nach der sechsten Rede.

Bestrahlt des Höchsten Licht mir den Verstand,  
So weicht die tolle Eigenliebe,  
So weicht der stolze Sinn, so weicht der Tand,  
So regt sich nichts vom falschen Triebe.  
Man kan in Wort und Werken  
Ein ander Wesen merken.

Nach



## Nach der siebenden Rede.

Dampf und Nacht  
 Hat der Feind ins Herz gebracht,  
 Wie mans an der Frucht verspüret.  
 Mein Geist, der sich selbst verführet,  
 Kan aus Irrthum sich nicht ziehn,  
 Drum muß ich zum Himmel fliehn.

## Nach der achten Rede.

Ein Tag geht nach dem andern fort, und un-  
 ser Werk bleibt liegen. Ich hilf uns, HERR,  
 du treuester Hort, daß wir uns nicht betriegen.  
 Gib, daß wir greifen an das Werk, gib Gna-  
 de, Segen, Kraft und Stärk im Licht, das  
 uns erleuchtet,

Ich flehe, HERR, mach uns bereit zu dem,  
 das dir gefällig, daß ich recht brauch die Gna-  
 denzeit. So flehen auch einhellig die Kinder,  
 die im Geist gebohrn, und die sich fürch-  
 ten vor dem Zorn, nachdem du sie  
 erleuchtet,






AB: 753875


(X 2360691)

R









DE Aug 16 494  
**DISCIPLINAE TRIPLICIS**  
DOMESTICAE SCHOLASTICAE  
ET ECCLESIASTICAE  
**NEXV ATQVE VSV**  
COMMENTATIO

QVA  
**AD EXERCITATIONEM**  
**ORATORIAM**  
A. D. X. NOVEMB. HOR. IX. ANTEMERID. CIOIO CCXXXXVII.  
IN MARTINEO HALBERSTADIENSI  
DEO INVANTE FVTVRAM

**LITTERARVM PATRONOS**  
**ET CVLTORES**

OBSERVANTISSIME ET HVMANISSIME  
INVITAT  
M. CHRISTIANVS FRIDERICVS HERTEL  
PAST. ADAED. SPIR. S. ET MARTIN. RECT.

HALBERSTADII LITTERIS LANGIANIS